



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindelicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio XXIV. Josue pugnans contra quinque reges, typus Christi in cruce contra quinque sensus pugnantis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)

*Divina Majestati tua placet, juva conatus meos. Sic coacto & incitato exercitu generosè in hostem ruit, cujus conjuratas vires uno praelio confregit, contudit, Ducemque vulneribus faucium in potestatem redegit; quam insignem victoriam cum cæteris omnibus Christo JESU & huic Crucifixo grato animo adscripsit. In hunc finem Laredii in conspectu Ducum & aulicorum publicè in genua se demisit, ubi auream hanc suam Christi in cruce suspensi effigiem pro more suo è sinu eduxit, eamque submisso osculo venerans hisce verbis affatus est: *Tu duce toties, Christe, cum hoste feliciter congressus sum, triumphos at-**


Franc. Hærens
in Annal. ad
annum 1556.

Mancin. lib.
8. dissert. 2.

Psal. 15. 6.

Cassiod. sup.
Psal. 4.

*que honores reportavi, quidquid inde decoris ac laudis est, tibi, qui tribuisti, submisè refero, utque animam brevi ex hoc corpore migratura felicem exitum deus, humiliter rogo. Quam exinde Crucifixi imaginem (in cujus dulci amplexu & SS. Vulnerum osculo Anno 1558. die 21. Septembris piissimè obiit) filio suo Philippo II. velut singularem ac præclarissimam hæreditatem, cum flagello sanguine suo imbuto, in cistula eburnea reliquit. Et nunquid Philippus II. Hispaniarum Monarcha, ubi post patris obitum hanc cistulam aperuit, cum Vate Regio dicere poterat: *Etenim hæreditas mea præclara est mihi?* Et quid talis ac tantus pater melius huic filio legare poterat, quàm Christum JESUM & hunc crucifixum? Finio cum Cassiodoro: *Crux, inquit, est humilium invicta tutio, superborum dejectio, victoria Christi, perditio diaboli, infernorum destructio, celestium confirmatio, mors infidelium, vita iustorum.**



CONSIDERATIO XXIV.

Josue pugnantis contra quinque reges, ty-
pus Christi in cruce contra quinque sensus
pugnantis.

*Percussitque Josue, & interfecit eos, atque suspendit
super quinque stipites. Josue 10. 26.*

I.

Josue 10. 13.

Cruentum quondam prælium Josue incomparabilis belli dux
contra quinque Chananæorum Reges commisit, in quo Solem
sistebat & lunam: *Steteruntque sol & luna, donec omnes hosti-
les profligaret phalanges; & quia quinque illos Reges in spe-
lunca*

lunca latentes deprehenderat, illos pedibus Israëliitarum calcari, & in quinque crucibus suspendi iussit: *Fueruntque suspensi usque ad vesperum.*

Theodoretus in hunc locum ait: Josue hic fuisse typum JESU Christi in cruce contra peccatum, mortem, totumque infernum pugnantis & debellantis; & cum hæc cruenta in cruce fieret pugna, sol in medio cœli & luna continuerunt radios suos, totumque obstupuit universum: *Sicut enim pugnante Propheta (Josue) sol stetit, ita dum Salvator noster morte sua mortem dissolveret, sol meridie continuavit radios suos, & tenebris replevit terram.*

2. Observandum est autem, quòd Josue quinque Reges gentiles in cruce voluerit à suis suspendi usque ad vesperum: *Cumque occumberet sol, præcepit sociis ut deponerent eos de patibulis.* Divus Hieronymus per prædictos quinque Reges in cruce suspensos quinque hominis sensus intelligit, quorum quilibet super hominem regnare desiderat, sed à JESU pugnante superantur: *Significatur, inquit, quòd antiquam Dominus populum suum educeret de Ægypto, & circumcideret eum, visus, odoratus, gustus, auditus, tactusque regnaverint, & his quasi principibus fuerint universa subjecta, quos JESUS ad speluncam corporis confugientes & ad tenebrosum locum, id est, ipsum ingredienti corpus interfecit, ut per id occiderentur per quod ante regnabant.*

3. Inter alias causas & rationes, quare crucifixus Dominus quinque Sacratissima Vulnera in suo corpore voluerit accipere, & illa etiam post gloriosam suam gestare & servare resurrectionem, non minima illa est, quam assignat Beatus Petrus Damiani: *Vulnera, ait, Redemptoris quinque sunt, quia nos eramus quinque sensuum vulneribus sauciati, & per has quinque plagas saluti sumus perpetua restituri.*

Consideremus modò quomodò quinque Sensus, tanquam quinque reges, olim super homines regnaverint, & adhuc super tepidos regnare soleant. Davidem considera alias virum secundum cor Dei, quem *Visus* turpem in modum decepit: *Viditque mulierem se lavantem* &c. 2. Reg. II. 2. Samsonem virum fortissimum considera, quem *Auditus*, quem Dalila mulieri vaferrimæ præbuit, in extremam præcipitavit calamitatem: *Quomodo ducis, quòd ames me?* &c. Jezabelem reginam attende, quam *Odoratus* fascinauit: *Depinxit oculos suos sibi* &c. Divitem Epulonem consule, quem *Gustus* ad Tartarum ablegavit: *Epulabatur quotidie splendide.* Dinam contemplant, quam *Tactus* in ruinam traxit: *Quam cum vidisset Sichem, adamavit eam, & rapuit.*

Apage à te, anime mi, quinque istos sensus, qui ut reges tibi volunt dominari, & illos cum invictissimo Josue, ubi te tentant, sine mora in cruce Domini nostri JESU Christi suspende, & in omni tentatione

Ginther Unus pro omnibus.

M

tatione

tatione perfectam obtinebis victoriam ac tandem vitam æternam. Juvat hic ad propositum nostrum! audire antiquissimum Origenem:

Origen. hom. 11. supra Jo-
sue. *Quinque reges, inquit, quinque sensus corporeos indicant, visum, auditum, gustum, tactum & odoratum: istos debes incessanter persequi, subjungere, premere pedo, mortificare, & in crucem Christi denique agere &c.* En habes modum perfectè vivendi.

S. Maxim.
hom. de Cruc. 4. Ad hanc doctrinam pariter alludit S. Maximus, qui in quadam concione de S. Cruce exemplum Ulyssis strenui illius ducis suis auditoribus proposuit, de quo referunt Poëtæ, quòd, ne ab illecebrofis ac fallacibus Sirenarum cantibus & blandis carnis voluptatibus falleretur, atque sic in quieto mari traheretur in præcipitium, ultro sese, obferatis cerâ auribus, ad navis malum arctissimè alligari voluerit, in qua arbore suspensus omnia pericula securus evasit. Arbor hæc seu malus, ait citatus S. Maximus, crux est: *Quisque arbori crucis se reliquerit, dulcem procellam luxuria non timebit: Sirenarum quadam suavis figura est mollis concupiscentia voluptatum.*

S. Bernh. de
inter. dome.
cap. 38. Audi & S. Bernhardum, qui ad reprimendum hunc blandientem & infestissimum inimicum domesticum nullum potentius frænum, quàm seriam meditationem de Christo JESU crucifixo præscripsit: *Quoties, ait, te sentis turpibus cogitationibus pulsari, & ad illicitam delectationem allici, toties pone ante mentis oculos, quomodo Christus in cruce crucifixus est pro te &c.* Ille pendet in patibulo, & tu quid?

Nadal. in
anno eccl. 4. Jan. 5. Vis exempla? B. Angelam viduam considera horrendis quondam tentationibus exercitam & scrupulis vexatam, quæ, cum utilius non sciret remedium, ad Crucifixum Dominum se contulit, eumque impensissimè rogavit, quidnam hac in re agendum, & quid ei esset gratissimum? Responsum accepit divinum: *Respice in vulnera Crucifixi.* Ex quorum aspectu & contemplatione in omnibus tentationibus per reliquum vitæ cursum plenissimam obtinuit victoriam; cui morienti Christus apparuit, eamque ad cœlestia & nunquam terminanda gaudia benignè invitavit: *Veni dilecta mea, veni, quia omnes Sancti expectant te.* O te felicem, si talem habebis fortem!

S. Henricus regio prognatus sanguine in omni sensuum tentatione ad crucifixum amorem suum ac sanctissima ejus vulnera currebat, qui ei suavit, ut relicto sæculi fastu vitam solitariam ageret; proinde aulam fugiens crucifixum consultorem secutus est, ubi in eremo ab hominum consortio remotus soli crucifixo amori suo vacabat; hinc à pietissimo orbis Redemptore meruit audire: *Henrice inscriptus es in libro vitæ; in cujus beato obitu Angeli læti decantarunt: Te Deum Laudamus &c.* Tantum illi profuit amasse crucifixum JESUM. Et tu, ô mi Lector, nondum sincerè & verè amas crucifixum amorem tuum? Quo

Quò ibis sine illo? Domine, dicebat quondam Petrus, ad quem ibimus? Joa. 6. 69.
Et respondet sibi ipsi Petrus: Verba vita æterna habes; & nos credidimus,
& cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.

6. Plura audiamus ad propositum nostrum. S. Raynaldus Episcopus, vir miræ sanctitatis in diversimodis sensuum tentationibus semper
recurrere ad Crucifixum suum Dominum, quem peculiari colebat honore, & prosequeretur amore; cui aliquando ad probandam ejus fidem
Christus personatus, hoc est, diabolus purpuratus ingenti gloriâ, majestate & splendore circumdatus apparuit, mentiens se esse orbis Redemptorem, atque promittens ei omnia bona, vitamque æternam; quem
ubi conspiciatus est Raynaldus, dolum antiqui illius serpentis advertens, & subolens dixit: *Christum se velle agnoscere non ex auro aut purpura, sed è vulneribus in cruce toleratis*; ad quod insperatum responsum dæmum confusus, ut fumus in auras abiit. Sic nimirum etiam *Satanas transfiguratus se* 2. Cor. II 14.
in Angelum lucis.

Nadal. 9.
Febr.

Quod & S. Pachomio accidit, cui diabolus in forma Christi se
spectabilem præbuit, dicens ei: *Pachomi, ego sum Christus, & venio ad te* ^{Cornel. hic.}
delem amicum meum. Agnovit hanc fraudem Pachomius, & formans devotè signum S. Crucis diabolum in Orcum ablegavit. Ita & S. Antonius Magnus Eremitarum pater unico S. Crucis signo integras dæmonum catervas, ipsum in quinque sensibus tentantes fugavit. De quo
Breviarium Romanum: *Mibi credite, solebat dicere ad fratres ac discipulos suos, pertimescit Satanas* ^{Brev. Rom.}
piorum vigilas, orationes, jejunia, voluntariam ^{17. Jan.}
paupertatem, misericordiam & humilitatem, maximè verò ardentem amorem in
Christum Dominum, cujus unico sanctissima crucis signo debilitatus ausugit.

7. Quærebat quondam Christus ex discipulis Judæis: *Quomodo fugietis à judicio gehenna?* Ignosce Domine! securum locum habemus, quò
oportet nos fugere, ne æternis deputemur suppliciiis; fugiemus enim
ad te crucifixum amorem nostrum, & ad SS. Vulnera tua etiam nūm
hodie pro salute nostra aperta, in quibus morantes ab auditione mala
non timebimus. Ita fecit S. Birgitta, cui ipsa Beatissima Virgo suasit
frequentem Crucifixi JESU memoriam, & ut in omnibus tentationibus ac necessitatibus suis, ad eum recurreret, subjungens: *Apertas esse* ^{Revel. I. I.}
Christi sanguine cæli portas; hæc filia mea cogita, & habeto semper præ oculis. Ita
fecit & S. Elzearius, qui in omni tentatione sensuum & tribulatione ad
SS. Christi crucifixi recurrerebat Vulnera, unde dicere solebat: *Si me* ^{Vita illius.}
videre cupis, quare me in vulnere lateris Christi, ibi enim habito, & ibi
me poteris invenire &c.